

Heinrich Dringenberg

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Phil.
Moral. Profess. ...Ad exequias, Quas Filiolo suo tenerimo desideratissimoq[ue]
Joanni-Friderico von Gehren/ Parentes luctu ac dolore pleni, hodie Hora 1.
paratum eunt, Omnia ordinum Cives Academicos studiose[ue] invitati : [P. P.
sub Sigillo Rectoratus, die III. Ianuarii. Anno M. DC. LXV.]**

Rostochii: Kilius, [1665]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449218>

Druck Freier  Zugang



Dringenberg, H.,

in J. F. v. Gehren.

Rostock. 1665.

39.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777449218/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449218/phys_0003)





PROGRAMMA II.
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HINRICUS Gringenberg
Phil. Moral. Profess. ac Facult. suæ in
præsens DECANUS,
Ad exequias,
Quas
Filiolo suo tenerrimo
desideratissimoq;
J·OANNI-
FRIDERICO
bon Gehren/



Parentes luctu ac dolore
pleni, hodiè Horâ I.
paratum eunt,
Omnium ordinum CIVES ACADEMICOS
seriò studioseq; invitat.



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

1668



Uli hodiè MATRI TERRÆ
inseretur, tuus, VIR Amplissi-
me, filiolus, necdum vivendo
complérat mensem. Adeòque
quò concisior ei ætas contigit,
eo minorem de sese scribendi
imponit nobis vel difficultatem,
vel materiem. Quid enim ope-
rosi afferatur in eum, quem necdum vitia conspurcâ-
rant, nec illustrârant virtutcs. Sanè si nascendo fomi-
tem statim peccatorum alere, aut mox ostendere ori-
ginē, turpitudo est aut de honestamentum (uti est o-
mninò) universum terrarum orbem isthoc pacto ex-
secreris; nemo enim non ita nascitur. Aut siper sa-
crum isti negocio destinatum fontem renasci, pote-
state inferorum exire, cæloq; mancipari, gloriosum
est ac laudabile (uti est reverâ) non omni id quidem
homini commune fuerit, sed omnitamen Christiano:
Cuiq; enim fidelium hæc altera per divinam gratiam
conceditur nativitas. Ut adeò Infantulus tuus nil præ-
carteris peculiare habuerit, propter quod vel vitupe-
rari

rari posset, vel laudari mereretur. Hinc factitatum,,
uti commentationem funebrem, quæ tam sterili argumenti foret, adeoq; angustis dicentem spaciis includeret, penè refugerim, certè animo in me suscepimus minus prompto lubentiq;. Cæterum tu edulcavisti, AMICE, scriptionem mihi, utq; non prorsus in amæna videretur, eâ effecisti re, quæ &

--- *per medios ire satellites,*
Et perrumpere amet saxa; potentior
Ictu fulmineo.

Quæ eadem longè facilius animos capiat mortalium,
quam hamuspisces; fortiusq; eosdem attrahat, quam
magnes ferr. Ergò cæteroqui segnior futurus, jam hoc
quasi incentivo aut calcari motus, currat calamus, *Infantuloq;* laudem, quam ex ipso non potest, aliunde, id
est, ex *Majoribus* accersat, quorum tanta est fuitque
semper dignitas atq; eminentia, uti cum præcipuis.
Provinciæ Urbisq; familiis contendere de principatu,
imò plerisq; præripere palmam possint. Et verò non
minuta laus est, eximio magnoq; ortu seri; pertinetq;
ea utiq; gloria ad jam vitâ etiam functos. Patrem habuit
JOANNES FRIDERICUS, quem sub ipsum statim
initium compellabamus, **VIRUM** Clarissimum Con-
sultissimumq; **DN. REINHOLDUM von Gehren** J.U.D.
judicijq; provincialis, uti & Ducalis Consistorii Advo-
catum eximum; Fautorem & Amicum nostrum sin-
gularem.

gularem. Matrem verò CATHARINAM MEJERUS/
Fæminam, in quâ forma ac virtus sedem quasi suam
fixisse videantur. Avus paternus fuit Amplissimus &
Excellentissimus VIR, D N. REINHOLDUS von
Gehren/ JCtus, initio Serenissimi Principis UDALRI-
CI, Sverinensium Episcopi; deñ verò potentissimi
Daniarum &c. &c. REGIS, CHRISTIANI IV.
Consiliarius; hinc judicij Provincialis gravissimus Ad-
fessor; tandem Urbis ac Reip. nostræ benemerentissi-
mus Syndicus. Avia paterna extitit clarissimum Fæ-
minarum decus ac ornamentum, AGNETA CLIN-
GIA, DN. BARTHOLOMEI CLINGII, JCti, Cel-
lissimorumq; quondam Mecklenburgi Principum Con-
siliarii intimi, quin ad L. annos Academiæ nostræ Pro-
fessoris celeberrimi, filia. Proavus paternus fuit DN.
ERHARDUS von Gehren/ Senator olim Regiomon-
tanus primarius: Proavia paterna, MAR GARITA
Krohnen/ ipsa quoq; Fæmina ornatissima, DN. JOA-
CHIMI Krohnen/ Senatoris ac Camerarii apud nos
præstantissimi, relicta filia. Quod ad lineam Mater-
nam attinet, citatur inde Avus D N. GERHARDUS
MEJERUS, JCtus, Vir Amplissimus, idēq; Consilia-
rius Mecklenburgicus excellentissimus; Avia ANNA
JUDELIA, sexus sui splendor; DN. ELIÆ JUDELI,
Consiliarii itidem Mecklenb. gravissimi, filia. Proavus
ex eadem porrò linea, ratione Avi, recensetur JOHAN

Meier/inter Negociatores Lubecensium quondam
princeps. Proavia MARIA KIRCHMANNIA , pari-
ter præcipui apud Lubec. Negotiatoris filia. Respectu
verò Aviæ proavus fuit ELIAS JUDELIUS , JCtus,
Celsissimorum quondam Principum Meckl. Consilia-
rius clariss. Proavia ANGELA Tandken/ DN. MARCI
Tandken/ Secretarii olim Wismariensis , bellè promeri-
ti,filia. Iste est sanguis,cui originem JOANNES de-
bet FRIDERICUS , supra modum clarus ac præstans,
Inde ei encomia ; aliundè nec dum alia ulla. Sed quid,
quod tanta tibi succubuerit spes tamen , aut in herbâ
quasi extincta sit? Quo animo tám festinam habebis,
PARENS , Filioli , sine dubio Patris Majorumq; si su-
pervixisset,vestigia securi, necem? Credam equidē,
satis tristidolenteq; Sed audi, præter sacrum divinūq;
codicem , quem sat studiosâ versavisti , scio, manu pa-
riter menteque ; audi , inquam , præter ista divina , ex
Gentilibus sapientissimum SENECAM , O Ignaros ,
dicentem , quibus non mors, ut optimum inventum Natu-
ræ laudatur : quæ sive felicitatem includit , sive calamitatem
repelit ; sive atietatem aut lassitudinem Senis terminat ; sive
juvenile ævum , dum meliora sperantur , in flore deducit ; sive
pueritiam infantiam vè ante duriores gradus revocat ; omni-
bus finis , multis remedii , quibusdam votum , de nullis
melius merita , quam de his , ad quos venit ante , quam invo-
caretur . Hinc adeò intelligitur , parùm interesse inter
illum,

illum, qui unum, & qui centum annos vixerit; nisi quòd hic, quòd ætate gravior, eò peccatorum quoque fasce gravatus magis onustusque, Patribus suis adnumeretur. Luculentæ sapientiæ instar plerisque est Gentilibus, quod *Silenum* à *Midâ* captum, pro suâ ei missione, referendæ gratiæ ergo, respondisse ferunt: *Non nasci, homini longè optimum esse; proximum autem, quam primum mori.* Prius quidem illud omnino dignum erat, quod madido ore *Silenus* proferret, asininisque auribus *Midas* exciperet. Quomodo enim queat optimâ conditione esse, vel optimum quid habere, qui neq; sit, neq; fuerit? Quomodo melius sit nihil esse, quam creaturam ratione instructam esse? DEI imaginem esse? Cæterum posterius minimè improbanus, tanquam rectè præclarèq; *Sileno* monitum; concinitque omnino pervulgatum illud *Menandri*: ἐν θεοὶ φιλόστρι, ἀπθυήσαι νέῳ. Certè non aliter cum vitâ nostrâ comparatum est, ac cum fluminum undis, quæ in oceanum devolvuntur: aliæ namq; neq; longâ, neque difficiili viâ exitum inveniunt; aliæ verò, quæ propè fontes ipsos excipiuntut, & diu in itinere hærent, & è catarractis præcipitantur, & ambagibus atq; anfractibus exercentur: Non aliter in vitâ humanâ omnes metam properamus ad unam. Qui ab eâ longius absunt, iter sicut diurnum, ita quoque molestum magis conficiunt, plures difficultates experiuntur, & majores

maiores exantlant labores. Recte profecto & præclarè iterum maximus SENECA: Non est, ait, quòd
quenquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non
ille diu vixit, sed diu fuit. Quid enim? illum putas mul-
tum navigasse, quem /æva tempestas à portu exceptum, huc
illuctulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per
eadem spacia in orbem egit? Non ille multum navigavit, sed
multum jactatus est. Quemadmodum igitur pelago
fortè isto tempestuoso fluctuans, & in portum quan-
to cyùs secundis ventis delatus; aut veluti duro carcere
clausus, ac inopino λύτρῳ redemptus, vel cancellis ruptis
fractisq; liberatus, maximam felicitatis partem inde-
ptus fuisse creditur; Sic quò citius quis in tuto vehi,
aut corporei carceris vinculis exsolvi incipit, eò beat-
tiori res ejus ac fortunatiori loco, jure meritoq; esse
reputaveris. Atq; hac quidem ratione præcipitatam,
AMICE, Filioli mortem feres, ex istoq; fonte me-
dicinam luctui petes, atq; solatum. Quod de adem-
tâ cætero qui magna tibi spe movebatur, id nec ipsum
profecto tale est, uti ea propter indolere nimioperè,
aut angi animo debeas. Enimverò habes, per DEI
gratiam, quibus jacturam hanc quidem sarcias, super-
stirantes Filios alios. Et præterea, quùm ipse D'EUS
noluerit, uti in JOANNE FRIDERICO magnarum spē
rerum figeres, morem, si pius es, qui es omnino, gere-
rere debebis, divinamq; voluntatem pro tuâ utique
habere ipsius.

Cate-

Cæterum, quum hac ipsâ die supremum exequi-
quiarum honorem exanimi ostensæ tantū prelis cor-
pusculo præstare Parentes decreverint, nostrarum
utique jam partium, CIVES ACADEMICI, fuerit,
frequentes in funere, quod primum hujus est anni so-
lenne, comparere. Enimvero præcipuum humanitatis
officium est, non negligere mortuos. Nec ea ipsa
benivolentia, aut pietatis iste affectus ullum alium
magis ordinem, quam vestrum decet. Itaque non
detrectabitis, quæ vobis imponuntur, partes, sed mu-
nia potius vestra copiosè explebitis; lenituri vel eâ
etiam ratione Parentum dolorem, & insuper,
quam obsequiosi ac reverentes erga Ma-
gistratum sitis, reapse
ostensuri.

P. P. sub Sigillo Rectoratus, die III. Ja-
nuarii. Anno M. DC. LXV.

Convenietur in Æde Marianâ,
Horâ I.








Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777449218/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449218/phys_0016)



maiores exantlant labores. R
clarè iterum maximus SENEC
quenquam propter canos aut rugas
ille diu vixit, sed diu fuit. Quid e
tum navigasse, quem /æva tempesta
illuctulit, ac viribus ventorum
eadem spacia in orbem egit? Non il
multum jaclatus est. Quemadmo
fortè isto tempestuoso fluctuan
tocyùs secundis ventis delatus; a
clausus, ac inopino λύτρῳ redemi
fractisq; liberatus, maximam fa
ptus fuisse creditur; Sic quòd
aut corporei carceris vinculis e
tiori res ejus ac fortunatori loco
reputaveris. Atq; hac quidem r
AMICE, Filioli mortem feres
dicinam luctui petes, atq; solati
tā cæteroqui magna tibi spe mo
profectò tale est, uti ea propte
aut angi animo debeas. Enim
gratiam, quibus jacluram hanc
stitantes Filios alios. Et præter
noluerit, uti in JOANNE FRIDE
rerum figeres, morem, si pius es
rere debebis, divinamq; volunt
habere ipsius.



ectò & præ
est, ait, quòd
ixisse. Non
putas mul
ceptum, huc
urentium per
navigavit, sed
itur pelago
rtum quan
uro carcere
acellis ruptis
artem inde
ntuto vehi,
pit, eò bea
ritoq; esse
cipitatem,
fonte me
od deadem.
d nec ipsum
nimioperè,
es, per DEI
rcias, super
ipse DEUS
gnarum spē
ninò, gere
uâ utique
Cæte